

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

DEFINITIONE ET DISTRIBUTIONE LOGICÆ,

ITEM DE ARGUMENTO ET ARGU-
menti generibus:

Quam


Deo auxiliante

SUB PRÆSIDIO

CLARISSIMI ET DOCTISSIMI
VIRI, DN. M. HENRICI DAUBERI, PHILO-
sophiæ in illustri scholâ Nassovica. Sigenensi, Pro-
fessoris ordinarii, studiosis Philosophiæ
publicè examinandam

proponit

JOHANNES CERVINUS Willenstorffensis Nassovicus.



HERBORNÆ NASSOVIORVM.

Ex officina typographica Christophori Corvini.

c I c I c VIII.

REVERENDIS, CLARIS-
SIMIS, DOCTISSIMISQUE

DN. JOHANNI CERVINO, Ecclesiæ Willensdorf-
fensis Pastori vigilantissimo, patri suo debitâ obe-
dientiâ & amore observando.

DN. BERNHARDO DECANO, Ecclesiæ Neuenro-
densis Pastori fidelissimo, consobrino charissimo.

DN. CHRISTOPHORO CORVINO, illustris Scho-
la Nassovica Typographo solertissimo:

*Dominis & Mecenatis suis reverenter
colendū:*

RECTOR
NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO JU-
VENI DOMINO BERNHARDO AB
Ermtraut LL. Studioſo,

UT ET

PIETATE, MORIBUS ET DOCTRI-
nâ ornatissimis juvenibus:

DN. JOHANNI LEUNENSCHLOT SS. Theolo-
giae Studioſo:

DN. WINANDO VELBRUGGEN Philosophia
Studioſo:

Dominis & amicis honorandis,

Hanc Logicæ disputationem offert & in-
scribit debitæ gratitudinis ergo Re-
spondens

JOHANNES CERVINUS
Willendorffensis Nassovicus.

DE DIALECTICA ET ARGU-
MENTORUM GENERIBUS.

THESES I.

CUM inter omnes disciplinas & artes facile princeps, imo
dux & regina sit Logica, quæ veluti sol inter minora sidera
præclarè lucens nebulas mentis humanæ discutit, & ad
omnes reliquias artes ingenuas intelligendas & cognoscendas
viam sternit; opera precium nos facturos esse exi-
stimus, si positiones aliquas de ea ad disputandum proponamus.

II.

Quoniam autem Cicero lib. I. officiorum rectè monet, omnem tra-
stationem ab humano ingenio susceptam debere proficisci à defini-
tione, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur: Nos quoq; secun-
dum legitimæ methodi leges, & communem Philosophorum consen-
sum à definitione Dialecticæ initium faciemus.

III.

Dialectica itaq; definitur ars bene disserendi.

IV.

Hæc definitio perfecta est, quippe causis essentiam rei constituentibus, materiâ scilicet & formâ constans, omnemq; & solam Dialecticæ
vim & naturam complectens.

V.

Notatio Dialecticæ est à Græco verbo διαλέξεω, quod non tam
de sermone quam ipsa ratione hoc in loco usurpat, ad totam scilicet
rationis humanæ vim & facultatem exprimendum. Significat igitur
hæc vox διαλέξεω nihil aliud quam disserere, quod Plato in Alcibia-
de majore vertit τῷ λόγῳ λεῖπεται, id est, ratione uti.

VI.

Committunt ergo elenchum falsæ notationis, qui Dialecticam di-
ci volunt à sūo, id est, duo, & λόγο, id est, sermo, quasi sit duorum inter
se sermocinatio.

VII.

Ut verò hæc ars dicitur Dialectica à πολιτείᾳ διαλέξεωι, sic eodem sensu quoq; Logica dicitur à πολιτείᾳ λόγῳ, id est, à ratione, non à sermone.

VIII.

Differentiam ergo inter Dialecticam & Rhetoricam, quam Fortunatus Crellius in Isagoge sua statuit, rejicimus, ubi inquit: Differt Logica à Dialectica sicut totum à parte. Logica enim à πολιτείᾳ λόγῳ à ratione nomen habet: eo quod in ratiocinando occupetur: Dialectica verò à πολιτείᾳ διαλέξεωι dicitur, quod non est ratiocinari, sed tantum colloqui.

IX.

Et potius stamus à Petri Rami sententiâ, qui cùm videret verbum διαλέξεωι ab Aristotele modò pro facultate probabiliter disputandi: modò verò pro tota ratiocinandi arte usurpari & sumi, pro libertate suâ philosophicâ Platonem secutus, Dialecticam & Logicam pro uno & eodem summis, viam procul dubio ei monstrante Plutarcho, qui libro I. de placitis philosophorum sic ait: Logicum quod Dialecticum appellant, &c.

X.

Genus definitionis Dialecticæ est Ars.

XI.

Ars autem (juxta Stoicos) ita definitur, nec malè: τέχνη εἰς σύσημα ἐγκαταλήψιν τῶν οὐρανού μνήμην τερπεῖ πάλιν Θεού χρησον τῷ εἰ τῷ βίῳ, id est: Ars est comprehensio methodica scientificarum præceptionum, exercitatione cognitarum, ad finem aliquem utilem in vita humana spectantium.

XII.

Scientifica præcepta sunt, quæ juxta tres aureas leges Aristotelis sunt conformata, quales sunt, κατὰ ταῦτα, καὶ ἀντὸν & καθόλου πρᾶπτον; Secundum quas hanc nostram Logicam, quantum quidem humana industria præfatur potest, conformatam, & proinde artem esse asserimus.

XIII.

Genus Logicæ constituant alii aliud: Quidam enim genus eius faciunt επιστήμην scientiam, nonnulli δύναμιν: à quibus omnibus dissident Portunatus Crellius, qui genus Logicæ facit habitum instrumentalem. Cum hoc consentit Zabarel. lib. i. de natura Logicæ, ubi dicit, Logicam instrumentum esse: item, non esse artem, sed arti simillimam. Quorum opinione refellimus.

XIV.

XIV.

Vocabulum **B E N E** in Logicæ definitione Synecdochicum est, pro sapienter, accuratè, artificiosè, & Logicis legibus congruenter.

XV.

Per vocabulum disserendi forma Logicæ exprimitur. Per hanc enim Logica est id, quod est, & ab aliis artibus discriminatur. Huic quoq; forma finis simul inclusus est.

XVI.

Porrò in voce disserendi nullum admittimus tropum, cuius præteritum disserui, & supinum disertum facimus, ut differat à dissero, dissevi, quod est dissemino.

XVII.

Disserere igitur est rem quamlibet cum ratione quoquo modo trahere, quod sit argumenta inveniendo, & inventa judicando. Germanice eleganter Logica dicitur: Ein Kunst, die allen Sachen vernünftig lehrt nachzuführen.

XVIII.

Hinc errorem quorundam notamus, qui pro forma seu fine Logicæ ponunt verum à falso discernere. Licet enim hic finis sit principalis, non tamen est adæquatus, id est, ad illum finem non omnia Logicæ præcepta tendunt.

XIX.

Exposita definitione Dialecticæ, necessariò jam sequitur, ut quæ sint eius partes, ostendamus.

XX.

Dialecticæ partes duas sunt: Inventio & Judicium.

XXI.

Rectè Petrus Ramus Logicam in inventionem & judicium distribuit. I. Quia omnia rationis humanae sive intellectus officia complectuntur. II. Quia omnis quæstio logica aut est simplex, aut conjuncta. Quot autem sunt species quæstionis tractandæ; tot etiam necesse est esse partes Logicæ. Quia explicat modum tractandi quæstionem. Videatur Melanchthon in sua Dialectica. III. Quia hæc distributio nititur à autoritate præstantissimorum Philosophorum, videlicet Stoicorum, Ciceronis & Quintilianii, imò ipsius Aristotelis, ut docet Goclenius in parte 1. probl. 7.

A 5

XXII.

Inventio est prima pars Dialecticæ de inveniendis argumentis.

XXIII.

Inventio est prior judicio, idque tūm naturæ tūm doctrinæ ordine. Ordine naturæ, quia in hac arte fieri debet progressio à minùs perfectis ad perfectiora, à simplicibus ad composita, adeoque à causis ad effecta. Ordine doctrinæ, quia ab iis est ordiendum, quorum cognitio inservit cognitioni sequentium, talia autem sunt ea, quæ in inventione traduntur, quare primo loco docenda.

XXIV.

Additur in definitione de inveniendis argumentis, id est, notionibus secundis simplicibus, non rebus ipsis, quæ argumentis tanquam themata subjacent, ex quorum mutuo respectu eruuntur. Invenire igitur hoc loco nihil aliud est, quam ex rerum inter se collatarum affectione investigare nomina logica, quæ dicuntur notiones secundæ, eaque rebus vel notionibus primis imponere: Exempli gratia: Homo est mortal. Hic duæ res sunt homo & mortal, quarum notiones primæ considerantur in physica, quatenus una est substantia, altera accident. Quia autem insuper collatio inter has instituitur & mutuus respectus, quatenus scilicet mortale homini accidit, nova acquirunt nomina Logica, nempe adjuncti & subjecti. Atque sic de aliis argumentis.

XXV.

Argumentum est, quod ad aliquid arguendum affectum est: quales sunt singulæ rationes solæ & per se consideratae.

XXVI.

Per argumentum h̄ic intelligimus notionem secundam, quæ rei ex affectione Logicā imponitur, quæ affectio existit ex mutua rei argutæ & arguentis relatione.

XXVII.

Per vocem Aliquid, intelligimus questionem seu thema simplex, quod titulum argumenti suscipit. Quod quidem thema subjectum argumenti est, argumentum verò subiectum inventionis.

XXVIII.

Quanquam non negamus, argumenti usum duplēm esse, axiomaticum videlicet & syllogisticum, ut arguere sit non tantum declarare, sed etiam demonstrare.

XXIX.

XXIX.

Ad arguendum affectum esse, idem nobis est, quod arguere, quia argumentum non est, nisi quod ipso actu arguit id, cum quo confertur.

XXX.

Dicuntur argumenta singulæ rationes solæ & per se consideratae, non quod themata simplicia sine omni relatione mutua considerati & argumentum constituere possint, sed quod hęc mutua argumentorum relatio absolute & extra axiomaticam connexionem considerari & tractari debeat.

XXXI.

Atq; hęc de arguento in generе: sequitur argumenti distributio.
Distribuitur autem argumentum in artificiale & inartificiale.

XXXII.

Artificiale est, quod ex se arguit. Dicitur artificiale, quia vim artis in se habet, quippe ex se & insitā suā facultate arguens. Unde à Cicero-ne insitum dicitur, quia petitur ex ipsa quæstionis natura: inartificiale verò contrà. Eius enim argumentum extrinsecus assumitur, nempe ab arguentis authoritate, unde à Cicerone assumptum nuncupatur.

XXXIII.

Argumentum artificiale est primum, vel à primo ortum.

XXXIV.

Primum est, quod est suæ originis: hoc est, quod non aliunde dependet. Quemadmodum enim surculi trunco inseruntur, & ex eo ejusque radice succum attrahunt, ut verè ejus fiant participes, fructusq; ferant convenientes: sic orta argumenta vim arguendi trahunt ex primis, tanquam surculi ex radice, & perinde sunt ad id, quod arguant sicut prima, unde oriuntur.

XXXV.

Argumentum primum simplex est, vel comparatum.

XXXVI.

Simplex, quod simpliciter & absolute consideratur.

XXXVII.

Simpliciter & absolute considerari hoc in loco dicitur, quando rerum propositarum consideratio & relatio simplex & absolta est, nec inde digreditur ad tertium aliquod, quod vel quan-

titatis vel qualitatis rationem & comparationem habeat, ut : Au-
rum est grave. Hic duarum rerum simplex & absoluta quædam collatio
est, nempe gravitatis cum auro. At, aurum est plumbo gravius: Hic pre-
ter duorum collationem etiam comparatio instituitur in tertio, scilicet
auri & plumbi in gravitate.

X XXXVIII.

Argumentum simplex est consentaneum vel dissentaneum.

X XXXIX.

Consentaneum est, quod consentit cum re, quam arguit,

XL.

Omnis enim simplex affectio aut amica est, aut inimica: Siamica,
consensionem & concordiam; si inimica, dissensionem & discordiam
parit.

XLI.

Consentaneum autem absolute consentit, vel modo quodam.

XLII.

Absolute consentiunt causa & effectum.

XLIII.

Absolute consentire est in summo gradu consentire, qualis consen-
tio est inter cognatos: Quodam modo vero consentire est debilius &
remissius consentire, qualis consensio est inter affines.

XLIV.

Atque haec sunt ea, quæ de Dialectica & argumentorum generibus
proponere voluimus; cætera, quæ monenda sunt, actus disputationis
dabit.

EPIGRAMMA

magistri

Ad
Doctissimum D N. Respondentem, ami-
cum suavissimum.

Dicitur & merito veri Dialectica vindex,
Errorum expulrix atq; manus sophia.
Quæ scivili seu sacro jure fertus
Quando caret, talpæ est cætor ille magus.
Et magus est mutus medicus vel pisce futurus
Illius omnino cognitione carens.
Illustrat reliquæ artes Dialectica multum,
Grammatica prodest Rhetoricaq; simili;

Inseruit Physice, nec non docet illa Matheſina.

Ac Et hic clara lumine sapientia juvat.

Descendam liquet hinc hanc esse fiduliter artem;

Ad reliquas etenim preparat illa viam.

Malle tuis igitur virtutibus, euge, juvabit

De logico dolle disseruisse locu;

Præſide ſub claro D A V B E R O diuine dextera

Dextræ propoſtas rite tuere theſes.

Prælia corrato dari non M A R T I S sat ARTIS.

Ac obiecta tibi tela repellet tu.

Sicut ibi sic patria, patria sic gaudia surgent,

Sic charus patria, charus eritq; D E O.

V Vinandus Velbruggen Montanus f.
Calendus Martii.

Ad arguendum affectu
gumentum non est, nisi q

Dicuntur argumenta
non quod themata simpli
argumentum constituere
relatio absolute & extra ax
etari debeat.

Atq; hæc de argument
Distribuitur autem argum

Artificiale est, quod ex
in se habet, quippe ex se &
ne insitum dicitur, quia
ciale vero contrà. Eius
nempe ab arguentis autho
patur.

Argumentum artificial

Primum est, quod est su
det. Quemadmodum eni
radice succum attrahunt,
convenientes; sic orta arg
quam surculi ex radice, & p
unde oriuntur.

Argumentum primum

Simplex, quod simplicit

Simpliciter & absolute
terum propositarum cor
ta est, nec inde digredit

